



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Amplius declarantur dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

tequam esse habeat, nihil est, ac si diceret, quidditatem non esse talem per aliquid distinctum ab ipso esse, quia quidditas nihil aliud est, ac esse; ac proinde antequam habeat esse, nihil est: ergo pro certissimo habendum est essentiam, quidditatem, esse, & ens actu esse synonyma, & omnino idem.

44 Consequentia illa prima est manifesta à paritate rationis, nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed tota ratio formalis, propter quam essentia actualis non constituitur per aliquid distinctum à se formalissime in esse essentia actualis est, quia per se ipsam est formalissime talis; sed hæc eadem ratio formalis reperitur in esse actuali, & in ente actuali respectu ipsius essentia actualis, si quidem sicut per se ipsam est essentia actualis, ita per se ipsam est actu ens, & actuale esse: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis in hac constitutione, scilicet quod in esse entis actu, & in esse actu non constituitur essentia actualis per aliquid distinctum ab ipsa essentia actuali à parte rei.

45 Quod autem essentia actualis per se ipsam sit ens actu & esse actu ex dictis est manifestum, siquidem ens actu, & essentia actu sunt synonyma, atqui per id, quo constituitur vnum synonymum sine dubio constituitur aliud, nam per id, quo constituitur aliud, constituitur idem ipsum, unde per id, quo constituitur gladius, constituitur ens, & eo modo, quo est Deus, est ens increatum, quare si gladius per se ipsam est gladius, per se ipsum erit ens; sed essentia actu, & ens actu sunt synonyma: ergo eo modo erit essentia actu talis, ac ens actu seu actuale esse; sed per se ipsam res est essentia actualis: ergo per se ipsam res est ens actu, & esse actu sine aliquo addito ex natura rei ab ipso: v.g. homo est per se ipsum animal rationale actu; sed ens actu in homine quatenus est prædicatum quidditativum & transcendens est omnino idem cum animali rationali actu, ut patet ex supradictis contra Scotum: ergo homo per se ipsum est ens actu animal rationale, ac proinde per se ipsum, & non per aliquid distinctum à se erit ens actu, esse actu, esse animal rationale actu: ergo res nullo modo potest constitui in esse entis, & in esse actu per aliquid distinctum à se ipsa.

46 Quod sic demonstro & declaro supradicta; nam omnis forma realiter distincta à potentia, quam actuat, componit cum illa vnum compositum, unde talis actus potest dici causa formalis, vel respectu compositi vel respectu potentia, vel alterius quasi partis componentis, quin absque tali actu, vel forma esse non possit; respectu igitur compositi verissime dicitur talis actus formaliter, & intrinsece constituere, non tamen potest omnino condistingui ab illo, sed necessario includitur in eo, & distinguitur ab ipso, ut pars à toto, quia talis actus non potest esse tota entitas composita, cum necessario includat aliam partem, vel potentiam, cuius est actus; at vero si comparatur actus ad aliam rem vel potentiam cuius est actus, non potest intrinsece & formaliter constituere propriam entitatem eius, quia illa entitas non est composita, sed simplex, alioquin non esset altera pars componentis, sed totum compositum, quod in reali compositione ex rebus distinctis prorsus repugnat, & etiam, quia alioqui constaret illa entitas, seu pars, quæ incipit actu ex illo actu, & aliqua alia re, de qua rursus inquiram an constituitur intrinsece, & formaliter per illum actum; nam si hoc affirmetur, procedemus ulterius in infinitum; si vero negetur, concluditur intentum, nimirum potentiam proprie componentem cum actu realiter distincto non posse intrinsece & formaliter constitui per ipsum actum, quocum componit, atque ita cum sit ultima resolutio ad

prima, seu simplicissima componentia, necesse erit, ut illa entitas, quæ ad alteram comparatur, ut potentia ad actum non constituitur intrinsece, & formaliter per illum actum nimirum per aliam partem in suo esse intrinseco, videlicet in sua propria intrinseca entitate & esse, licet fortasse illam postulet, ut sit: sicut materia petit formam, sic essentia constituit vnum existens cum essentia, tamen respectu entitatis essentia nullo modo posset intrinsece illam constituere aut cōponere, quia vna ab alia condistinguitur, ut entitas simplex ab entitate simplici distinctione excludentis ab excluso, non autem distinctione includentis ab incluso, quia hoc modo non distinguitur potentia ab actu; sed effectus formalis actus ab ipso actu; atqui potentia, quæ actuatur ab actu, non est effectus formalis talis actus: ergo ille non constituit in sua entitate potentiam, quam actuatur sicut forma rationalis non constituit materiam primam in entitate sua intrinseca, seu in esse intrinseco materia primæ; sicut supposititas non constituit naturam in esse intrinseco naturæ, nec in entitate intrinseca illius, licet constituat in esse subsistentis: ergo existentia si est actus distinctus ab essentia actuali, non constituit ipsam essentia in esse intrinseco essentia, neque in esse entitativo essentia, sed potius supponet iam essentia constitutā in suo esse actuali, & in sua entitate intrinseca actuali.

Sed esse actuale essentia, & esse ens actu in essentia est ipsum existere essentia: ergo si supponitur existentia distincta ab essentia, erit essentia existens ante existentiam, ac proinde habebit essentia existentiam ante ipsam existentiam, quod est omnino falsum: ergo dicendum est, quod sicut essentia actualis per se ipsam præficio quocumque alio distincto à se à parte rei habet entitatem realem, & esse reale actu, ita per se ipsa existere actu sine aliquo alio addito distincto à se ipsa, quia ut supra vidimus, idem est in rebus omnino ens actu, esse actu, & existere actu.

SUBSECTIO III.

Amplius declarantur dicta.

47 Via in essentia hominis, v.g. non distinguitur ab ipsa essentia à parte rei gradus superior, v.g. animal, & substantia si cum proportionem sumantur; v.g. si animal actu, & substantia actu comparantur cum essentia hominis actu, quia si comparantur substantia possibilis, & animal possibile, cum actuali essentia hominis distinguuntur sine dubio ab illa à parte rei, quia possibile, vel possibile, siue sit negatiuum, siue positiuum, separatur realiter ab essentia actuali, ac proinde distinguuntur realiter, contra vero si animal possibile, & substantia possibilis comparantur cum essentia hominis possibili, non distinguuntur realiter, quia certissimum est apud nos, & apud Aduersarios contra Scotum, & Scotistas, gradus superiores metaphysicos, aut prædicata quidditativa communia non distingui vilo modo à parte rei à prædicatis inferioribus & ab speciebus, & indiuiduis constitutis per ipsa, sed ens reale actuale est prædicatum commune transcendens, & gradus metaphysicus, qui prædicatur quidditative de essentia hominis: ergo ens reale actuale nullo modo distinguitur à parte rei ab essentia hominis actuali; sicut neque ens possibile ab essentia hominis possibili; sed ens reale actuale est ipsa essentia hominis, seu existere reale: ergo existentia, & existentia, siue existere reale: ergo existentia, & existentia, siue existere reale nullo modo distinguuntur à parte rei ab ipsa essentia hominis actuali, & reali. Minor illa est evidens, quia sicut ens, & esse sunt synonyma, ita ens reale actuale & esse reale actuale sunt synonyma; sed esse reale actuale est synonymum existentie realis, ac proinde idem, quod existentia realis: ergo ens reale actuale est

Quaest. II. Vtrum essentia disting. &c. 11

est idem, quod existentia realis; sed essentia realis actualis est idem sine vlla distinctione cum ente reali actuali, & existentia realis est idem sine vlla distinctione cum ente reali actuali similiter; ergo essentia actualis realis hominis est idem cum existentia reali hominis: patet consequentia, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; sed essentia realis actualis hominis, & existentia realis hominis sunt idem in tertio entis realis actualis; quod synonyme est idem quod esse reale actuale: ergo essentia actualis realis hominis & existentia realis hominis sunt idem inter se à parte rei sine vlla distinctione à parte rei: ergo essentia realis actualis à parte rei non constituitur in esse existentis realiter à parte rei per aliquid distinctum à se ipsa; sicut non constituitur in esse entis actualis realis aut in esse actuali reali per aliquid distinctum à se ipsa.

49 Declaratur, & confirmatur; sicut ens ut sic est gradus superior respectu essentiae hominis, ita actualitas ut sic est gradus superior respectu essentiae actualis hominis: ergo totum concretum, ens actuale reale est gradus superior respectu essentiae actualis hominis; unde in predicatione formali vere, & realiter predicatur de essentia actuali hominis ens actuale ut sic, & sic hæc est vera propositio, essentia actualis hominis est ens actuale reale; sicut est vera hæc est substantia actualis realis, est vivens sensibile, actuale, reale, imò à fortiori quia ens actuale reale ut sic non solum est gradus superior respectu essentiae actualis hominis, sicut substantia actualis, & animal actuale; sed etiam in sententia Thomistarum, cum quibus pugnamus predicatum transcendens totam essentiam actualem hominis; sed omnis gradus superior identificatur omnino sine vlla distinctione à parte rei cum essentia hominis: ergo ens reale actuale identificatur omnino à parte rei cum essentia actuali reali hominis sine vlla distinctione à parte rei: Tunc sic ens reale actuale ut sic, & esse reale actuale ut sic sunt idem omnino sine vlla distinctione, ut patet ex supradictis: ergo esse actuale reale est idem omnino cum essentia actuali reali hominis: quod sic demonstratur, quia essentia realis hominis actualis opponitur contradictorie nihilo; sed nihilum non est, nec habet esse, quia est negatio esse: ergo essentia actualis est actu, & habet esse actu non per aliquid distinctum à se, sed per se ipsam immediate, quia vnum contradictorium non est tale respectu alterius per aliquid distinctum à se, quod mediet inter se, & suum contradictorium, alias vnum contradictorium cum altero, non opponeretur immediate, & maxime, sed essentia actualis hominis est immediatum contradictorium nihili ratione esse actualis, & quia actu est: ergo essentia actualis actu est & actu habet esse, non per aliquid distinctum à se ipsa, sed per se ipsam immediate, & formaliter: sed esse actuale reale est existere actuale, & reale, synonyma enim sunt in sententia D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 4. in corpore, ubi ait; esse, esse actualitatem omnis formæ; sed actualitas in sententia D. Thomæ, & Thomistarum & esse sunt idem quod existere: ergo existere est idem, quod essentia hominis; sicut essentia hominis, & ens actuale, & sic ait Angelicus Doctor. 1. p. q. 3. art. 1. ad 3. Ipsum esse perfectissimum, omnium; comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est, unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, quod est existere earum; ecce quomodo synonyma sunt esse, & existere apud D. Thomam; quod etiam in usu positum est apud linguæ latinæ Doctores, ut patet ex Tullio, qui synonyme vitur verbo, *existit*; & verbo, *sum* & *sui*, ut 1. de divinatione; existit hoc loco quaestio subdifficili.

1. P. To m. 11.

lis, & lib. 2. Officior. atqui eo tempore tantæ discordiæ sequutæ sunt, ut & tyranni existerent, & optimates exterminarentur, id est tyranni haberent esse, & optimates destruerentur, ac proinde amitterent esse; unde Laurentius Balla lib. 5. *Elegantior.* ait, existere significare idem, quod *sto, extorsum, & super sum*; idem ergo omnino significant hæc voces, & ideo P. Franciscus Suarez disp. 31. met. sect. 1. n. 2. sic ait, suppono aurem per esse nos intelligere existentiam actualem rerum, ne sit equivocatio in verbis, nec sit necessarium postea distinguere de esse essetie, existentie, aut substantie, aut veritatis propositionis.

Ergo de primo ad ultimum existentia hominis, & essentia hominis non distinguuntur.

Iterum hoc ipsum sic demonstratur; quia per vos essentia actualis, & existentia distinguuntur; interrogo à vobis an essentia actualis distinguatur ab existentia, sicut nihil ab aliquo, vel tanquam non ens ab ente, vel tandem ut ens reale positivum actuale ab alio ente reali positivo actuali? primum dici non potest à vobis, alias fateri cogremini, hominem actualem esse essentialiter non ens, siquidem essentia eius, est non ens, & solum existentia ens positivum est; sed per vos homo non est essentialiter existens: ergo homo non potest esse essentialiter ens positivum reale; ex quo amplius sequitur contra vos, existentiam etiam hominis non esse positivam, sed potius negativam, & negationem; nam eo modo est existentia, quo est essentia alicuius; unde sicut essentia mortis est negativa, ita etiam existentia eius; & sicut essentia tenebrarum, & cæcitatibus sunt negationes, & non positivæ realitates, ita etiam existentia earundem sunt veræ negationes, & non entitates positivæ; quia existentia est accessorium, & essentia talis existentie est principale; sed accessorium sequitur principale, & proportionatur ita cum principali, ut non excedat principale in gradu universalissimo essendi: ergo si essentia hominis esset negatio, existentia hominis non posset esse positiva; sicut si essentia accidentis est accidentis, existentia ipsius non potest esse substantia, præcipue quia actus positivus non potest existere in negatione tanquam in primo fundamento; sicut substantia non potest esse in accidenti; & res non potest esse in modo: ergo existentia hominis supposita essentia negativa ipsius, esset etiam negativa, ac proinde homo totus esset negatio, quod est falsissimum: ergo dicendum est, essentiam hominis non distinguere ab existentia eiusdem, tanquam nihil ab ente positivo: ergo dicendum est, existentiam, & essentiam in homine distinguere tanquam duo entia realia positiva; rogo ergo quale ens sit illa essentia actuale, an possibile, non quidem possibile, quia loquimur de essentia prout actuali, & posita à parte rei; ergo est ens actuale; ergo prout distinguitur ab existentia est existens: patet consequentia; quia actuale & existens, ut iam diximus idem omnino sunt, & ad summum nominibus distinguuntur, ut gladius, & ens, cum existentia ad nullum alium effectum deserviat, nisi ut det actualitatem essendi: ergo si hanc habet essentia à se ex ipso lumine naturæ videtur superflua existentia.

Vergetur; quia essentia actualis, & existentia aliter distinguuntur, quam essentia, & existentia possibilis: ergo distinguuntur non ut duo entia possibilis: ergo ut actualia entia; ergo tam essentia, quam existentia prout condistinctæ inter se, sunt actualia, & per actualitates suas seipsas distinguuntur; ergo negari nequit actualitas essentiae identificata cum existentia; sed nihil aliud est hæc actualitas, quam existentia (sanè dum ego habeam actualitatem essentiae, tolle tibi tuam existentiam, quæ non

B 2 non

non indigeo, ut absolute sim:) ergo existentia hominis, & essentia hominis actualis sunt omnino idem, & minime distinguuntur à parte rei.

- 53 Quod tandem sic vergetur; nam essentia actualis propter præcisam, & distinctam ab illa existentiam, quam tu fingis, habet iam effectum formalem existendi: ergo non habet illum, neque existit ab illa existentia ficta à te sed à seipsa existit; consequentia patet ex terminis; antecedens probatur: essentia actualis est causa materialis verè recipiens ipsam existentiam, non minus quam materia prima est causa materialis formæ substantialis verè recipiens talem formam, & non minus, quam subiectum recipit albedinem, tum quia compositioni essentiae, & existentiae est per modum actus, & potentiae, & omnis actus componens, aut saltem vnio illius causatur in genere causae materialis à sua potentia, tum etiam quia existentia, siue sit res, siue modus, est tamen perfectio intrinseca essentiae, à qua educitur, & sic dependenter: ergo essentia præsupponitur ut existens ad illam formalitatem: patet consequentia, quia nihil potest realiter causare intrinsece recipiendo in genere causae materialis, quin existat; sed essentia causat existentiam recipiendo ipsam: ergo pro illo priori naturæ est existens, vide ea omnia, quæ in physicis de existentia materiæ diximus, probantes aduersus Thomistas, illam non esse à forma sed à materia ipsa; ex quibus euidenter sequitur, essentiam actualem à se esse ens actuale & existens, & non per aliquid distinctum à se ipsa, alias si essentia ante existentiam non esset actu ens, esset ens possibile tantum; sed ens possibile non potest actu causare recipiendo, ut latissime demonstrauimus in physicis loco citato, unde materia possibilis & quæ actu non est in rerum natura, non potest actu recipere formam, nec componere cum illa actu compositum actualem: ergo si essentia vere recipit existentiam actu, & vere causat ipsam actu, quia existentia educitur actu ab essentia, essentia pro illo priori naturæ, pro quo causat existentiam, & pro quo nondum intelligitur existentia in actu, cum pro posteriori naturæ intelligatur illa, erit existens, & ens actu absolute: ergo esse existens non accipit ab ipsa existentia, si existentia distinguitur ab essentia.

- Dices, hanc rationem labefactari in albedine distincta ab homine, nam homo v. g. ut condistinctus ab albedine, vel est albus, vel non; si est albus: ergo non eger albedine distincta à se; si non est albus: ergo iam non sunt duæ res, &c. ecce argumentum rectorum contra nos.

- 55 Sed contra manifeste, quia homo ut recipiat albedinem habet sufficientem capacitatem quia supponitur ante albedinem in esse entis realis actualis, & habens esse actuale, & existere actu, in quibus formalitatibus nullo modo constituitur homo ab ipsa albedine, sed supponitur iam constitutus, etiam si non supponatur albus: ergo potest recipere albedinem, vniri cum illa, & ab ea reddi albus, sed homo, ut condistinctus ab existentia, & ut supponitur illi per vos non est ens actu, nec habet esse actu, ac proinde necessario debet esse ens possibile tantum ut est modo Antichristus, & Adam, & fuerunt ab æterno res non existentes: ergo nequit illi realiter vniri existentia, aut formaliter illi communicari, & consequenter nec per vniionem sui cum homine illam reddere ens actu, aut existens, seu habens esse actu, ex eo quod ante existentiam nullam habet capacitatem actualem ad recipiendum, quia non entis nullæ sunt qualitates: ergo nihil potest fieri ens intrinsece, & formaliter, aut constitui formaliter existens per aliquid à se distinctum: ergo exi-

stentia dans esse intrinsece, & formaliter, non potest realiter distinguì à re existente.

SYBSECTIO. IV.

Secunda principalis ratio ponitur.

Quia essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, vel à possibilitate essentiae per suum ipsum esse positium & non distinctum à se; sed illud esse, per quod essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, seu à possibilitate essentiae est actualis existentia: ergo actualis existentia est ipsum esse essentiae actualis sine aliqua distinctione ab ipsa. Maior satis supra probata manet, cum tractatum de possibilitate, constet possibilitatem, seu essentiam possibilem ut talem esse negationem; atqui ut ibidem probauimus, positium à negatione non potest distinguì per aliud esse à se distinctum, quia si distingueretur positium à negatione per aliud esse, distinctum à se ipso, aut illud, per quod distingueretur, esset quid negatiuum, aut positium, non negatiuum, quia alias daretur processus in infinitum, quia etiam ab illa negatione per quam distinguitur formaliter, & realiter à possibilitate, deberet distinguì ut quid positium; ergo per aliam negationem, & ab illa etiam per aliam, ac proinde in infinitum; ne igitur concedamus hoc absurdum, faciendum est certissime, & sine dubio positium non distinguì à negatiuo per aliam negationem.

Alias præter absurdum dictum sequeretur euidens contradictio in adiecto, videlicet quod illa negatio, per quam positium distinguitur ab alia negatione, non sit negatio, sed positium, quia illa negatio esset negatio alterius negationis, & non positui: ergo illa negatio non esset negatio, sed positium, quia negatio negationis affirmatio, & positium est; unde nec non homo, non est negatio hominis, sed positius homo, quia est negatio negationis hominis: ergo velint, nolint aduersarij, fateri coguntur positium à negatiuo non distinguì per negatiuum aliud à se, sed per seipsum.

Non positium, quia omne positium aut est relatio, aut quid absolutum, sed tale positium per quod vnus positium distinguitur à negatione, non esset relatio, neque absolutum distinctum à parte rei à primo positio, quod distinguitur à negatione: ergo illud non esset positium; de relatio sic proba; quia non esset relatio transcendentalis, nec prædicamentalis, primum patet iam ex supra latissime dictis in præfationibus huius metaphysicæ, vbi probauimus, nihil positium posse dicere relationem transcendentalem ad negatiuum, ex eo quod res superioris ordinis nec specificietur à re inferioris ordinis, nec essentialiter ordinetur ad illam.

Deinde euidentius patet; quia si positium distingueretur à negatione per relationem transcendentalem, & essentialem ipsi positio, tale positium non distingueretur ab illa negatione per esse distinctum à se, sed potius per suum ipsum esse essentialiter immediatè, quia relatio transcendentalis nullo modo distinguitur à parte rei à re, cuius est relatio, cum talis relatio sit adæquate de essentia rei cuius est relatio, imò sit tota essentia rei, ut videre est in relatione transcendentali potentiae, habitus, & actus ad obiectum; materiae ad formam, & formæ ad materiam: ergo si positium distinguitur à negatiuo per relationem transcendentalem, ab illa distingueretur positium per suum ipsum esse immediatè, & non per aliud positium à se distinctum.

Quod autem non distinguatur positium actualis 60 essentiae à possibilitate seu essentia possibili per relationem